



praecipiente, *et decorum est pro patria mori*. Sed tum demum dulce, tum demum decorum est pro patria mori, si inter arma, quae hostium ferociam reprimunt, animam effundere haud reformides, et virtute invicta patriae libertatem vel sanguine tuo redimere laeteris: At devotione animae nemo hostium fauciatur, nemo reprimitur, nemo denique occiditur, paucis, mors ea patriam aut parum aut nihil juvat. Si cui fortasse virtutis bellicae legibus devotionis causa ornari posse videretur, quae intrepido animo hominem vel centies pro communi omnium salute jubeat mori, caveat quaeso, ne temeritatem praeclaro virtutis nomine exornet. Furiosa enim temeritas quantum a sapientia, tantum quoque a virtute diffidet. Temeritas quilibet audere parata, inconsideratissime dementissimeque agit, nulloque consilio habito, modo fiat, quod perversi ingenii libido suavit. Virtus consilii plena pensitat, quid agat, et cur agat, nec nisi optimum et communi saluti plurimum profuturum, et hosti molestissimum eligit, et fortissimum quemque, quorum virorum summa est raritas, comodis publicis potius servare, quam inconsulto in hostes impetu, aut voluntaria vitae privatione perdere praecipit. Plurimum denique conservationem unius interitu redimendam esse, nonne imperet forte humana prudentia, quae studiosissima est, communi malo brevissimis, id si fieri licet, mederi? At uti verissimum est, plurimum salutem unius consilio, unius virtute, unius opera saepe, defendendam stabiliendamque esse, ita vanissimum est credere, salutem publicam unius innocui viri sanguine, sine ratione, sine lege, ac sine consilio, profuso redimi posse, quum ratio ignoret modum, quo sanguis ille salutem publicam prodesse queat, atque hosti potius, occiso prudenti ac fortissimo viro, proferat, quam damnum inferat devotio.

§. 3 Per-